



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Praxis Et Brevis Declaratio Viæ Spiritvalis

Palma, Luis de la

Antverpiae, 1634

De duobus modis electionis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60472](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60472)

tium istorum graduum, petendo à Domino nostro, vt tertiam illam sublimiorem humilitatem, quò meliùs illum imitari eiùque seruire possimus, si hoc ad maiorem seu æqualem ipsius diuinæ Maiestatis gloriam fuerit, nobis donare dignetur.

De modis electionis.

Textus Exercitiorum S. Patris nostri sic habet:

Modus prior sanæ bonæq; electionis faciendæ, sex constans Punctis.

PVNCTVM PRIMVM erit, Proferre in medium rem delibendam, vt de officio vel beneficio, acceptandùmne an potiùs reijciendum sit: & ita de ceteris rebus quæ ad mutabilem electionem spectant.

SE-

SECUNDVM est, *Adducto ante oculos creationis meae fine, in hoc consistente, ut cum Dei laude saluus fiam, in neutram declinare partem amplectenda vel repudianda rei controuersae; quin potius velut in medio quodam interstitio & equilibrio subsistere, parato interim animo, ut in eam illicò partem totus ferar, quam nouero diuinæ gloriæ & salutis meae fore aptiorem.*

TERTIVM, *Obsecrare Dei clementiam, ut dignetur mentem instruere, & impellere voluntatem quocumque potius mihi tendendum sit, adhibito nihilo seciùs pio fideliq̄ue intellectus mei ratiocinio, per quod, apprehensâ & probatâ Dei voluntate, ad electionem ferar.*

QUARTVM, *Perpendere, quot tandem commoda vel adminicula mihi*

ad finem meum prosequendum accedent ex tali officio vel beneficio suscepto; quot rursus ex eodem incommoda et pericula impendent: præterea, quot per oppositum, omisso illo, tam commoda et adminicula quam discrimina et damna possim exspectare.

QVINTVM, His præmissis ratiocinari in utramque partem, et iuxta ipsius rationis dictamen, seposito carnis appetitu omni, electionem concludere.

SEXTVM, Electione factâ, ad orandum citò prosilire, et illam offerre Deo, perfectè demum, si ei placeat, recipiendam et stabiliendam.

Modus

*Modus posterior benè eligendi,
in Regulas quatuor & An-
notationem unam distributus.*

REGVLA PRIMA, Quòd
cùm oporteat per affectum ex
Dei amore celitus infusum fieri ele-
ctionem, eligentem conuenit persenti-
scere in seipso, quòd quidquid affectio-
nis (siue multum siue modicum sit)
erga rem electam tenet, ex solius Dei
amore & intuitu proficiscatur.

SECUNDA est, Considerare,
si quis mihi vir amicissimus, cui nihil
non perfectionis inesse cupiam, occur-
ret dubius super electione huiusmodi,
quidnam ego illi decernendum maxi-
mè essem consulturus: quo animad-
uerso, agendum & mihi ducam, ut
suaderem alteri.

N 4

TER-

TERTIA, *Mecum insuper reputare, si mors ingrueret, quem me mallet observasse modum in presenti deliberatione: iuxta hunc igitur eligendum nunc esse, facile intelligam.*

QUARTA, *Prospicere non minus quando pro tribunali sistar iudicandus, quo me consilio hac in re usum esse vellem: quo agnito nunc utar, ut eo tempore magis sim securus.*

Annotandum est postremò, quòd hisce Regulis quatuor propter salutem meam & animi quietem accuratè servatis, debeo iuxta ultimum Punctum modi precedentis electionem ipsam definire, & offerre Deo comprobendam.

SI quis dispositionem, de quâ dictum est in Exercitiis superioribus, optimo quo cum diuinâ gratiâ potuerit modo, acquisiverit; restat ut oculos in rerum suarum statum coniiciat, hoc est,